



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CL. Crux Domini nostri Jesu Christi causa omnium gratiarum,  
beneficiorum, donorum, ac benedictionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

# CONSIDERATIO CL.

Crux D. N. J. C. causa omnium gratiarum, beneficiorum ac Benedictionum.

*Elevatis manibus suis benedixit eis, & ferebatur in cœlum. Luc. 24. 50.*

## I.

**J**acob Patriarcha morti nunc proximus & maturus, quia agebat Gen. 48. 14. 147. ætatis annum, filiis Joseph Ephraim & Manasse cancellatis manibus benedixit: *Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fr. tris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.* Observa hīc, Lector prudens, Jacob in hac ultima sua benedictione erga filios Joseph extensis ac cancellatis manibus suis crucem formavit, in qua illis benedixit; ita S. Damasce-<sup>S. Damasc.</sup> nus, asserens cancellatas manus præsignasse crucem Christi, ex qual. 4, c. 14. omnis gratia & benedictio in genus humanum promanavit: *Crux tua,* ait S. Leo Papa, *omnium sons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per s. Leo ser. 8.* quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. <sup>de Pass. Dom.</sup>

2. Hanc gloriosam crucis benedictionem prævidit in spiritu Vates Regius, dum aurea suâ pennâ mortalitati humanæ illa aurea verba consignavit & reliquit: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugient à fa- Psal. 59. 6. sie arcu.* Et quale signum? R. S. Hieronymus & alii, signum, quod S. Hieron. in ostendit & erigit nobis Christus, ut fugiamus à facie arcu, hoc est, Isa. c. 50. punitionis, tum hīc, tum præsertim in die judicii, est signum crucis, hoc enim salutis signo fideles se distinguunt ab infidelibus & Antichristianis, dum intrepidè signum crucis in fronte suo deferent.

3. Imò & Christus Dominus, dum nunc, ut glriosus de morte triumphator ad Patrem in cœlum ascensurus SS. Matri suæ, ac cæteris circumstantibns fidelibus in monte Olivario valediceret, signum crucis adhibuit, prout observat S. Lucas: *Elevatis manibus benedixit eis, Luc. 24. 50.* & ferebatur in cœlum. Nota, qui elevatis manibus benedicit; crucem format, homo enim cum extendit manus, crucifixum repræsentat:

B b b 3

For.

S Bernhard.  
serm. 4. in  
Vigil. Nat.

*Fortasse, ait S. Bernhardus, crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratus*

*infixus; homo enim formam crucis habet, quam, si manus extenderit, exprima*

*manifestius.*

Similem inquam, crucis formam & Christus formavit in cœlum nunc abiturus, ut ostenderet crucem esse signum redemptionis nostra, & simul fontem omnis gratiae ac benedictionis; unde à Christo & Apostolis manavit in Ecclesia Dei traditio, ut, dum alicui benedicimus, manibus in formam crucis deductis id faciamus. Juvat hic au-

S. Hieron. in  
Isa. 66. 19.

*dire S. Hieronymum in Ilaicæ c. 66. v. 19. Et ponam in eis signum: Hu-*

*inquit, nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus*

*posuit, ut libere diceremus: Signatum est super los lumen vultus tuus Domine.*

*Et hoc signum crucis erit in fine seculi, cum Dominus ad judicandum*

*venerit: Ponam in eis signum, antequam congregem, ait hic Cornelius,*

*omnes gentes in valle Josaphat, prius erigam inter eas signum, quali*

*vexillum crucis, ad quod convocabo & congregabo omnes nationes.*

*O beati, qui sub hoc signo crucis in vita egregie dimicarunt, illi enim*

*à Christo justificati & sanctificati ad æternam pervenient salutem, ex-*

*teris hoc signo parentibus ad supplicium sempiternum condemnandis.*

4. Olim arca Dei erat Hebreis signum divinae benedictionis,

cum enim David Rex eam religiosè & solemnè pompâ ex domo Abi-

nadab in domum transferret Obededom Gethæ, observat Scriptura,

quod cum ea pariter multiplex benedictio in hanc domum & fami-

liam descenderit: *Et benedixit Dominus Obededom & omnem domum ejus.*

Et quare hoc? *¶* Sacri interpretes, quod Geth hebraicè idem significet

quod torcular, seu crux, quam Christus calcavit solus; in hac ergo

domo divertit Dominus per arcum, ut ostenderet, quod omnis bene-

dictio veniat à cruce, in qua solum cum Apostolo nos oportet glo-

riari: *Mibi autem ab sit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et

subdit Cornelius: *Arca ergo Dei, ipséque Deus requiescit in anima Gethæ,*

*id est fidelis, qui amat crucem & mortificationem.* O quam claudicat iste ter-

minus *Crus & mortificatio* apud multos Christianos! Christum cruci-

fixum amare & colere volumus, & imitari piget? Audi ipsam Veri-

Matth. 10. 38. *tatem: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* O

beata domus, ubi haec arca mystica, crux, quiescit, & ubi Christus ama-

tur, colitur & imitatur.

5. Veniamus ad historias. B. Hedwigis Ducissa Poloniæ, vidua

Joachim. Cu-  
*crux in actis.* Sanctissima vix ab umbra crucifixi amoris sui abesse poterat, in cuius

honorem singulis feriis sextis se flagellabat, & pane & aquâ jejunabat,

quæ tandem arctissimè imaginem B. V. & Matris Dei constringens

piissimè in Domino defuncta, & cum ea imagine sepulta est. Excelle-

bat

bat autem singulariter in amore sui Crucifixi Amoris, cuius intuitus ei pro libro inserviebat; ecce cum aliquando coram devota Crucifixi imagine humili prostrata precibus ferventiis insisteret, vidi Dominum suum manum dexteram a clavo & crucis cornu extrahentem, & sibi per modum crucis per amanter benedicentem, clara voce dicendo:

*Orationem tuam accepi, faciamque quid petisti.*

6. S. Benedictus Abbas & Patriarcha orbi notissimus, gratia, prout Ant. yepes loquitur S. Gregorius M. & nomine Benedictus, prima Ordinis sui funda- Centur. I. San- menta jecit in facello Sanctissimae Cruci dedicato, cuius tota supellex dæus & alii,<sup>1</sup> erat cilicium & crux ex aurichalco, cui affixa erat effigies crucifixi Do- mini, ad cuius latus stabat Virgo & Mater Christi patrona S. Bene- dicti, & Sacri Ordinis ejus Diva tutelaris, ad partem sinistram erat S. Joannes Baptista, ad basin crucis insistebat S. Antonius Eremita, ex quo Crucifijo libro, ubi Musas Romanas valere jussit, studebat Bene- dictus, ex quo studio evasit in praclarissimum Theologum mysticum, & amatorem ac imitatem crucifixi JESU præstantissimum, cuius uni- co crucis signo Stygium alastorem superavit, vas, in quo potus veneno mistus ipsi porrigebatur, confregit, idola evertit, fidem plantavit, Pla- cendum ex aquis, ne mergeretur, liberavit, & plura alia prodigia patra- vit; inter qua illud quam maximè considerandum, quod recenset Ale- P. Maurus manus & Tyrreus. Cum S. Benedictus in monte Calino plenus Spi- Grieschirensis ritu ardore ante imaginem Crucifixi oraret, Christus in signum divi- in conc. de na benedictionis manus suas a clavis & cruce solvens, S. Benedictum S. Benedictum per amanter amplexatus & osculatus est, atque illius os ad latus suum impressa, & jussit admoveare, ex quo tantum spiritum & gratiarum fontem hausit; habita ad S. Udal. & Afr. hic adimpletum est illud prophetæ: *Haurieris aquas in gaudio de fontibus Aug. an. 1683. Salvatoris.* O beatum Benedictum! etiam nobis misellis unicam stillu- Isa. 12. 3. lam ex SS. corde JESU, & sufficit nobis.

7. S. Benedicto adjungo S. Bernhardum filium obedientissimum; Ex vita S. qualis ac quantus fuerit Mellifluus ille Doctor & Abbas Claravallensis, Bernh. 20. ejus vita, scripta & acta satis luculenter orbi Christiano demonstrant; satis dixeris, si eum filium Mariæ, cuius purissimum lac sugebat, & fratrem JESU, qui eodem lacte nutritus est, appellaveris, cuius mores per omnem vitam conatus est exprimere; Obversabatur nimis rūm ejus oculis perpetuò passio & crux Domini nostri JESU Christi, cuius vir- tute diabolum de imminentे judicio tentantem, pessimisque apud tri- bunal Dei eum infestantem accusationibus, gloriosè superavit, cui ob- jecit Crucifixi effigiem: *Fateor, inquietabat, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtainere cœlorum.* Ceterum Dominus meus duplii jure illud possidens, hereditate Patris ac merito passionis, altero ipse contentus, alte- rum

*rum mibi donat. Ecce ingentem fiduciam, quam Divus ille erga crucifixum suum tenebat amorem.*

Alia vice, & quidem die Dominicā passionis se ostendit ei Christus crucem ad Calvarium montem operosè bajulans, & ad Bernhardum dicens: *Iuvame, quitanta pro te patior.* Accurrit Bernhardus lacrymabundus: *Domine, inquiens, patere, ut patiar: ita pater, quia placidus es ante te,* ubi ad quæcumque aspera pro Christi amore sustinenda se offerebat, & ideo meruit, ut, dum aliquando coram Crucifixi effigie impensis oraret lacrymis irroratus, Dominus brachiis à transverso crucis ligno separatis eum suavissimè amplectetur, & ad pectus suum constringeret. O felix Benjamin, & frater Dnmini! Ita quondam Josephus Ægyptiorum Pro-Rex dilectum fratrem suum Benjaminum amplexus est, de quo Scriptura: *Cumque amplexatus recidisset super collum Benjamini fratris sui, flevit, illo quoque similiter flente super collum ejus.*

**Gen. 45. 14.**

Thomas Ca  
tipratanus in  
vita.

8. Similem gratiam ac benedictionem à Christo meruit B. Lutgradis Ordinis S. Benedicti sanctissima monialis, & vera Crucifixi sponsa & amatrix, cui die quodam per templi fores ingredienti apparuit crucifixus Dominus sacro sanguine perfusus, ac hiantibus vulneribus sauciis, quod tristissimum spectaculum ubi conspicata est Lutgradis non sine amarissimis compassionis lacrymis, se illico in terram abiecit, Christus vero avulsus è ligno crucis brachiis eam benignè complexus est, ac patuli lateris divino nectare & sanguine potavit. Beatae Lutgardi adjicio denique sanctum Henricum Imperatorem: cùm piissimum Monarcha in celebri Monasterio Tegernseensi in superiori Bavaria fito voti causa versaretur, & aliquando coram Crucifixi imagine, qua hodieum ibi piæ fidelium devotioni publicè exponitur, nocturnis contemplationibus vacaret, subito sensibus abalienatus dignus habitus est, cui Christus crucifixus largam tam sui, quam Monasterii benedictionem adpromitteret, prout S. Imperator Beato Ellingero illius temporis Abbati fusè enarravit.

Anima Christiana, accede & tu simili cum fiducia ad crucifixum Redemptorem tuum, ac perpende, cùm illum tam laxè manus suas extendentem vides, quomodo pari amore te ad amplexus suos inviteret. Optimus ille pater, ubi filium suum prodigum, sed nunc pœnitentem de longe conspexit, *misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* En plus hic in cruce, expectat te JESUS expansis brachiis, & tu renuis veraire? Ah quoque tandem?

**Luc. 15. 20.**

CON-